

1514. 14. Februarij:

Petrus Tomiccus Episcopus Premisliensis  
designatus, Sigismundo I. Regi Poloniae.

cum gratiarum actione pro Nomina-  
tione sui ad Episcopatum Premisliensem Die  
14. Februarij per Strzaskowski Cra-  
covianus missa.

Præmi Princeps et Dñe Gratiōssime!  
Licet brevi Deo juvante venturus sum ad Con-  
spectum Vre Mttas tamen memor Officij et de-  
biti mei perpetui, redeunte isto Cubiculario ad  
eandem Vram Mttam, volui ante meum isthuc  
adventum has breves scribere, tametsi parum  
suppetant verba mihi, quibus possem debitas  
gratias agere immense benignitati Vre Mttas  
quod me dignata est servitorem suum humilli-  
mum hoc novo titulo decorare et ad Episcopatum  
Premisliensem designare. Quae gratia singularis  
tanto majori obligatione devinxit meam ser-  
vitutem, quanto benigniori ac clementiori affe-  
ctu collata manifestè videtur, quandoquidem ab-  
sentem eò munere meam exilem Personam  
ornare Vra Mttas dignata est, cui tamen quam  
maximas possum pro ea beneficentia ago gra-  
tias, et quoad vitam, enitar meam exili servi-  
tute, quantum celestis bonitas mihi præstiterit,  
quam gratissimus servus esse, et ad omne obse-  
quium atque imperium nullis unquam par-  
cendo laboribus paratissimus, atque in hoc  
mihi imposito onere cum Dei adiutorio ita  
me gerere studebo, ut si quid in eo ferendo  
virium, quæ exiles mihi sunt, defuerit, volun-

tati  
88



voluntati tamen optima nihil defuisse vide-  
bitur. Seterum Sme' ac gratiosissime Dne'  
jam pridem profecto cupio me representare  
Vrae Mtti, et discessissem hinc ante triduum,  
sed oportuit me hic immorari hoc parvo tem-  
pore propter expeditionem Nuntij, et aliarum  
rerum necessariarum in Urbem. Hodie tamen  
hinc discedo, recta et quanto celeriori itinere, potero,  
perrecturus ad Vram Mtem, quam Dominus Deus  
incolumem et felicem in sua gratia semper con-  
servet, et cui me cum exiguis servitijs et indignis  
Orationibus meis humillime commendo etc: